

# **Horatius Antonius Bologna**

---

**Quomodo sit lingua Latina nostris  
diebus docenda**

---

Collectanea Philologica 12, 19-27

---

2009

Artykuł został opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

---

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

## HORATIUS ANTONIUS BOLOGNA

Roma

### Quomodo sit lingua Latina nostris diebus docenda

Mulieres clarissimae et ornatissimi viri, qui ad linguam Latinam excolendam ac vivificandam e nonnullis Europae nationibus hunc in conventum convenistis et acerrimis animis, quid de Romanorum sermone a linguae Latinae cultoribus exponatur ac disputetur, audituri estis, hac tempestate silentio praeterire non possum, quin patefaciam, quid de re sentiam ipse. Ceterum quantum in me erga Romanum sermonem studii sit, neminem fugit, cum in commentariis nostris, qui *Latinitas* inscribuntur, quid una cum innumeris litterarum Latinarum cultoribus scripsisset ipse, legerit ac pervolutaverit.

Cum autem mihi de lingua litterisque Latinis docendis sit agendum, hic praeterire non possum, quin Vergilium ceterosque Latinorum poetas et auctores memorem; quantum insuper auxilii vel professoribus vel discipulis, qui litteras Latinas discere ac docere velint et cupiant, tam clari linguae Latinae artifices praebeant, paucis absolvam. Vergilius enim, ut inter omnes linguae Latinae cultores constat, non solum ab antiquis verum a recentioribus etiam doctis semper est plurimi ductus: tam multis enim saeculis transactis, hominum animos et mentes operibus suis candida luce adhuc replet frigidoque recreat rore. Ad limpidum fontem poetae sitim extinxerunt et illis lymphis, e frigidis nemoribus et inaccessis rupibus prosilientibus, Musam aluerunt, carmina ditaverunt, hominum genus iuvaverunt. Quam multa verba et exempla vel a ceteris poetis vel a Vergilio praesertim deprompserint, si quis cuiusdam recentioris auctoris legat carmen, profecto inveniat.

Praeter Vergilium, cuius auctoritatem omnes docti plurimi fecerunt, ceteri quoque poetae Romanorumque scriptores cum poetis tum artificibus vel Italicis vel Europaeis profuerunt, quorum animos prudentia doctrina experientia aluerunt. Silentio enim praeterire non possum, quin Dantem Alagherium, Franciscum Petrarcham et complures illos poetas rerumque scriptores memorem, qui, lingua Latina eleganter fluenterque usi, inde a renatis saeculo XV litteris usque ad auream illam aetatem, qua Didacus Vitrioli, Iosephus Giacoletti, Hermannus Weller, Ioannes Pascoli, Iosephus Morabito in certamine Hoeufftiano pluries victores discesserunt, mira condiderunt opera, quae nostris quoque temporibus discipulis et professoribus et linguae Latinae cultoribus magno sunt auxilio. Neminem profecto fugit quam apud Italos sint clari Iovianus Pontanus, Antonius Panormita, Angelus Politianus, Ubertinus Carrara et

innumeri alii, quorum carmina adhuc mirabundi legimus. Neminem insuper fugit, quod nomen apud Polonos, Austriacos, Francogallicos et Germanos adepti sint Philippus Callimachus, Paulus Crosnensis, Andreas Cricius, Ioannes Dantiscus et Simon Simonides, qui est Pindarus Polonus vel Pindarus Latinus appellatus. Ceteros, ne longior evadat index, invitus omitto. Quos ut legatis, vos omnes, auditores ornatissimi, hortor.

Hi omnes et Vergilium et ceteros Romanorum scriptores tanto coluerunt studio atque amore, ut antiqua opera, occasione data, non solum memoriter proferrent et recitarent, sed magno quoque cum artificio imitarentur atque aemularentur. Qui clari viri, ab aequalibus miram ob artem plurimi ducti, cum discipulos instituerent, quomodo esset carmen Latinum vel oratio contexenda, tirones hortari non dubitarunt, ut praecipuas litterarum Latinarum auctores, normis et rebus supervacuis omissis, memoriae mandarent atque aemularentur. Quae praecepta secuti, tirones brevi temporis spatio quid sentirent ac discerent fluenter atque emendate Latine sunt statim exponere conati. Quo perfecto, magnum sibi nomen comparaverunt et merito maximi sunt magistri ducti.

Quibusnam de causis omnibus lingua Latina discenda et colenda sit, quoad possim et liceat, omnibus faventibus, paucis absolvere conabor. Ceterum haud ignota locuturus sum. Quod facit, ut magna me teneat spes, fore ut neminem vestrum taedio afficiam. Si contra, me invito, id eveniat, mihi benigni ignoscite, veniam mihi loquenti humaniter comiterque date. Neminem autem nostrum, ut videtur, hoc fugit vel latet: linguam et litteras Latinas prima et praecipua scientiae et eruditionis principia ac praecepta continere et tradere; easdem praeterea ut antiquorum virorum animos instituisse erudisse ditasse ita nostros homines instituere erudire ditare; auctores Latinos denique, cum res adversas et secundas, libertatem et dominatum, bellum et pacem experti sint, quomodo damnum vitandum bonumque consequendum sit, homines nostros adhuc docere.

Clarorum autem auctorum opera, sive carmina sive praesertim orationem solutam, quomodo concipiendum et tractandum sit argumentum miris et claris exemplis patefaciunt; auctores deinde ipsi quomodo homines, intelligendi argumentandique arte usi, adversariorum argumentationes comprehendant, quibus ratiocinationibus et interrogationibus refutent, compluribus in locis ostendunt; iidem denique libertatem et quasi dicendi silvam praebent. Ideo lingua et litterae Latinae optimae sunt palaestrae, in quibus ingenia exercentur, animi vires roborantur, mentis acies acuitur, fera cordis insoles mollitur, artes aluntur, memoria augetur. Memoria enim, ut accepimus, minuitur nisi eam exerceas. Temporibus nostris, mehercule!, una voce damnatur qui discipulorum memoriam cotidiano usu atque exercitio duret ac firmorem faciat.

Hic praeterea hoc est nobis considerandum: linguam Latinam haud multos abhinc annos, ut saepius memoratur, non solum Europae nationum verum etiam complurium orbis terrarum populorum et gentium sermonem publicum fuisse.

Hoc nos pro certo habeamus: litteras Latinas pretiosissimum hominum thesaurum adhuc exstare. Cuius utilitas, gratia, venustas, rerum verborumque comprehensio haud paucos populos, qui lingua, institutis, moribus et legibus differebant, in unam eandemque magnam congregavit civitatem, cuius cultum atque humanitatem homines adhuc plurimi ducunt docti.

Quae cum callidi adsentatores compertum habeant, ut hominum genus barbarum ac rude ulla sine difficultate regere possint, litteras Latinas e scholis tollunt, studia faciliora reddunt, discipuli non doctiores, sed rudiores in dies faciunt. Ideo adulescentes, gymnasio et lyceo, classicum quod dicitur, expleto, maxima cum difficultate legunt, comprehendunt, exponunt. Complures discipuli, qui nostri sunt iuvenes, immo liberi nostri, ad studia difficiliora persequenda, praeter admodum paucos, qui necessariis sunt praeceptis imbuti, amplius idonei non habentur. Quod nobis omnibus est et dolori et dedecōri. Rerum omnium optimam amissuri sumus. Quam, nisi remedium aliquod quam primum inveniamus, nobis invitis, penitus amitteremus.

Quid ergo faciendum sit, ut discipuli nostri tantum malum vitent, ex me fortasse quaeritis; sed neminem nostrum quid faciendum sit, fugit. Nos vero, rebus vel potius ab hominibus adversis oppugnati, non devicti, cum liberis tum discipulis non solum cultum atque humanitatem sed doctrinam etiam atque eruditionem per litteras Latinas tradere conamur. Qua de causa, ut nosmet ipsos gratiosos et probatos linguae litterarumque Latinarum testes perhibeamus, hunc in clarum conventum convenimus. Ceteris argumentis praetermissis, ad acroaseos argumentum reverti contingit.

Professor autem, ut discipuli linguam Latinam statim diligent eiusque utilitatem et pulchritudinem percipiunt, ipse in primis Romanorum sermonem, si re vera noscat, a primis scholis adhibeat saepiusque Latine loquatur. Sed, mehercule!, quam pauci sunt professores, qui linguam Latinam re vera noscunt, colunt, diligunt. Maxima quorum pars, dictu pudeat, non solum linguam Latinam ignorat sed parum utilem esse dictitat; immo verbis et exemplis facit, ut discipuli in eundem propositum veniant et Romanos scriptores incredibili afficiant odio. Professores isti, ut mercedem annuam commodamque sibi vitam comparent, linguam Latinam, adversus quam acriter pugnant ipsi, docere audent.

Optimus autem professor in discipulis cognoscendi studium auget suaque quidem auctoritate fisus et usus, quae ab omnibus statim percipitur et magna statim admiratione afficitur, puerorum adulescentiumque animos miris antiquorum exemplis incendit. Qui quidem maximum eruditionis et doctrinae exemplum, quod adulescentes sequantur, fit ipse. Discipulis enim non verbis, sed exemplis opus est.

Discipulorum igitur animis doctrina atque auctoritate subactis, Vergilii ceterorumque poetarum carmina memoriter pronuntiet et hortetur, ut ipsi, quamvis nihil vel parum comprehendant, idem faciant. Constat enim plerosque

adulescentes, puellas praesertim, se poetas habere: nullum esse discipulum, qui unum saltem carmen se condidisse neget. Qua re cognita, professor discipulos hortetur, ut Romanorum poetas legant eorumque versus, si pulchriora carmina contexere velint, memoriae mandent. Ex omnibus Vergilianis locis illi magis idonei putantur, qui adulescentium ingenium movent, animos incendunt, sensum sollicitant. Quis nostrum, vel Troiae vel Priami vel Didonis casibus lectis, a lacrimis temperare potuit? Catullus, quem adulescentes, nec immerito, ceteris statim malunt, nonne potiorem locum obtinet? Veronensis enim eloquium et oratio mentem subigunt, animum vincunt, ingenium movent, celeritatem et copiam sustinent. Cuius carmina discipuli legant et memoriae mandent et professor, nullis rei grammaticae mormis quae sit, optimum quemque laudet, eundem discipulis proferat ceterosque hortetur, ut aequalem vincant.

Professor vero, cui doctrina cordi est, discipulis omnibus, pigris quoque et ignavis, ut innumera verba et complures poetarum oratorumque locos memoriae mandent, sollicitus persuadeat, eosdemque ut Latine loquantur, pedetemptim usurpet. Ad quod obtainendum optimum quemque praemii et laudibus exornet et, certaminibus constitutis, faciat ut alius alium supererit. Discipulis enim nullo impedimento est, quominus memoriae mandent primum artificiosas verborum conclusiones, quae, cum breves et faciles sint, mentes ditant et argumentis materiam praebent; una cum aliquot Vergilii, Caesaris, Ciceronis ceterorumque auctorum locis perfectos completosque verborum ambitus discant, ut magnum verborum numerum in promptu habeant. Ad competitorum animos movendos ac sollicitandos, professor discipulos hortetur, ut illis verbis, quae didicerint, usi, aliquid scribant, exercitationes exhibeant. Quae utilia et necessaria putantur, memoria diu custodiuntur.

Cum autem linguae Latinae cursum conficiat, professor, qui paucis post diebus unumquemque discipulum bene novit, diligentiores colat et neglegentiores, quibus praeter ingenium et aequales et professores propositis suis fastidire nihil est, parum curet: indignum enim et iniquum videtur professorem, ut pigros quoque et insolentes sollicitet atque alliciat, magno diligentiorum damno maiorem temporis terere partem. Quo quidem modo, mea saltem sententia, diligentiores quoque, cum nullum amplius novum sit argumentum, quod mentes alliciat animosque stimulet seque praeterea parum esse a professoribus curatos videant, tempore procedente, pessimis peiores fiunt. Tam inutile quam insanum consilium, quod vel temporibus praeteritis vel diebus nostris praesertim complures professores magna cum diligentia et gloriabundi sequi iactant, ut socordes quoque, qui ad studia persequenda minime videntur idonei, magnis curis et ingentibus sumptibus, iisdem rebus ad satietatem repetitis, diligentiores doctrina aequent. Iniquum tamen mihi videtur professorem diligentiores, ut neglegentiores eadem argumenta discant, saepius diutiusque neglegere. Si quis haec forte faciat, maximum in hominem facinus

concipit, quoniam non iustum causam sed noxiū eorum consilium, quibus ingenium populare cordi est, impudens sequitur. Facilius enim neglegentiores curare quam diligentiores altius ducere iisque nova semper argumenta porrigitur declarare enodare.

Ceterum non omnes discipulos, quamvis omnia conemur, ad linguam Latinam descendam idoneos esse constat. Sed plerique professores, vel populari ratione vel se rectum facere putantes vel quam minimum laboris suscipere cupientes, sollerter operam dant, ut neglegentiores, si quid novi didicerint, optimis quoque proponantur ac praferantur. Eosdemque rudes et insulsi professores optimis ipsis in exemplum ad imitandum proponere non dubitant.

Professor insuper omnibus diebus, antequam de re grammatica praecipiat, discipulos hortetur, ut simul nominum declinationes verborumque coniugationes, donec nullo labore memoriae mandent, pluries repetant; discipulos usu cotidiano et exercitatione efficiat, ut paucis post diebus et declinationes et coniugationes discant easdemque, occasione data, emendate adhibeant.

Quibus perfectis, alter alterius exercitationes corrigat. Innumera discipulorum menda argumenta praebant, quibus professor cetera explanet, praecipuas grammaticae normas idoneis verbis et exemplis enarret enodetque. Savius et sapiens professor omnes illas vitat normas et verba, quae, cum necessariae non sint, taedio sunt discipulis. Ipse praeterea facit, ut discipuli cum locorum tum singulorum verborum analytica curent. Quam rei grammaticae partem, quae maximi momenti est, haud pauci professores vel omitunt vel flocci ducunt. Tanta parte eademque praecipua oblita, discipuli necessario in maximos errores incidunt et linguam Latinam maximas difficultates praebere, nec immerito, putant. Qui contra illam tantum partem praecipuam esse censem, discipulos in hanc falsam ducunt opinionem linguam Latinam fastidiosum normarum esse acervum.

Cum autem discipuli, professoris ductu, praecipua linguae Latinae elementa memoriae mandaverint verborumque sensus et significations prima inspectione intellexerint, Sallustii, Caesaris, Taciti, Catulli, Vergilii Ciceronisque locos enarrant et in patrium sermonem vertunt. Quos, si quid utile facere velit, discipulus diligens memoriae mandat, quoniam illas discit normas, quas apud optimum quemque scriptorem invēnit. Mente pedetemptim verbis et sententiis et decerpis et delibatis undique flosculis ditata, tempore procedente, discipulus tanta facilitate linguam Latinam adhibet, ut eadem paucis post mensibus innata nativaque videatur et putetur. Quo quidem modo linguae Latinae studium, cum nullam difficultatem praebeat, in dies crescit, desiderium auget, cupiditatem fovet.

Sed antequam discipuli idoneos Latinorum auctorum locos legant eosdemque in sermonem maternum vertant, professor primum faciat, ut quid significare velint mente comprehendant, deinde unumquemque cogat, ut quid comprehen-

derit suis verbis patefaciat, denique omnes discipulos, verbis novis explanatis, hortetur ut locos in sermonem suum emendate vertant. Ad quod obtainendum cum discipulis tum professoribus idoneis opus est libris.

Apud bibliopolas innumeri inveniuntur libri, quibus auctores linguam Latinam dilucidissime explanavisse eandemque se maxima cum facilitate docere iactitant. Sed multorum librorum, cum quaestum tantum curaverit auctor, molem potius quam doctrinam et facilitatem stomachosi miramur. Omnes istius generis libri, cum parum idonei ad linguam Latinam sive docendam sive descendam sint, reiciantur a professoribus, quorum maior pars, novarum rerum argumentorumque cupidi, a librorum curatoribus decipitur. Complures autem professores, qui illos libros ob rerum argumentorumque dispositionem utiles habebant, procedente tempore, rebus et argumentis diligenter consideratis, ubi primum experiuntur discipulos nihil vel parum comprehendere, quoniam nullum servant ordinem ac dispositionem, eosdem inutiles, immo discipulis noxios habent et merito e discipulorum manibus tollunt. Quorum quidem librorum gratia sive discipuli sive professores in hanc communem veniunt opinionem: linguam Latinam tam difficilem esse, ut per faciles quoque auctorum loci aegre comprehendantur et enarrentur et maxima cum difficultate in patrum sermonem vertantur.

Omnis tamen, qui in tam clarum ac frequentem conventum convenimus, hoc memoria tenemus: quo doctiorem et sapientiorem professorem eo faciliorem et simpliciorem esse linguae Latinae textum; linguae Latinae librum insuper planum itineris initium non exitum esse ducendum; iucundum vero librum, cum pedetemptim difficultates solvat, benignum ad descendum esse comitem; eundem, quamvis angustias et difficultates praebat, nec gravosam esse nec molestam sarcinam considerandum; professorem denique, si velit et rerum argumenta noscat, linguae Latinae textum, ceterorum omnium utilissimum et simplicissimum, discipulis adivantibus, exemplo conficere; immo professorem, si antiquorum scriptorum libros legerit eosdemque memoria teneat, clarum esse textum.

Quae libri contineant, quae exempla ferant, quos auctorum poetarumque locos praebant, quomodo res enarrent ac facta interpretentur, quam multas ineptias sub falsa eruditio[n]is specie vulgent, haec omnia, ne discipulis damno et rationibus scholasticis detimento sint, professor vitet, emendet, tollat. Nullus prorsus est professor, qui grammaticam illam, quam Cletus Pavanetto, Operis Fundati et Commentariorum *Latinitas Praeses* ac Moderator, quintum edidit, noscat atque in promptu habeat. Grammatica, ut Ciceronis verbis utar, nuda est, recta ac venusta, omni ornatu orationis tamquam veste detracta. Omnes libri partes et argumenta multis et claris explanantur et ditantur exemplis, quae clarus linguae Latinae cultor ex antiquis auctoribus deprompsit; discipulos ad Latine loquendum gradatim ita comitatur, ut paucis post diebus necessaria discant, quae

legant, nullo lexico adiuvante, cito comprehendant, rhetorum poetarumque sententias carpant, flosculos delibent, innumera verba memoriae mandent. Sexta tamen libri editio innumera ob menda vitetur!

Hic vero illa praetereo volumina, quae *Lingua Latina per se illustrata* inscribuntur. Ceterum neminem nostrum fugit cum professoribus tum discipulis quantum adiumenti atque auxilii Ioannuli Orberg libri sint. Hi quoque, lingua Latina exarati, faciunt ut omnes brevi temporis spatio non solum auctores Latinos legant et comprehendant, verum emendate ac fluenter etiam commerciis cotidianis linguam Latinam adhibeant. Nullus est doctus et peritus professor, qui, mea quidem sententia, utilissimis his instrumentis carere possit.

Multis autem verbis memoriae mandatis, professor discipulos hortetur, ut cuiusdam auctoris suavitatem degustent, eloquium mirentur, doctrinam laudent, orationem percipient. Multis insuper verbis et necessariis tantum rei grammaticae normis cognitis, velut in officina, ubi unusquisque officium servat munusque perficit et ingenii et artis mirum edit exemplum, per lusum atque iocum discipuli novum linguae Latinae librum conficiant, ad normas explicandas nova inveniant exempla, narratiunculas conscribant. Paucis post mensibus, si haec omnia diligenter faciant et conquirant, omnium librorum optimum possunt discipuli comparare ipsi. Qua tantum tempestate magnae utilitati et professoribus et discipulis, quorum animi sunt ad studium praemiis et laudibus sollicitati, computatrum est.

“Utinam haec omnia vera sint! Utinam haec eveniant” dicet aliquis. Quae omnia vera fient, si condiciones, quae sequuntur, exstant: quarum una discipulis, alia professoribus, tertia libris et computatris nititur.

Omnium autem inventorum, quae maxima sunt hominibus utilitati, computatrum est, quod diebus nostris apud omnes fere familias potissimum obtinet locum. Sed inventum illud, ut ipse pluries expertus sum, discipulis, cum ad ludendum tantum aptum putent, maximo est damno, quoniam animos captat, mentes hebēt, sensus allicit. Quod cum intellexissent scholarum moderatores, litteris Latinis una cum doctrina atque eruditione e scholis sublatis, illud machinamentum, quo diutius adulescentes, officiis et pensis omissis, ludere possent, in rationes scholasticas immitti iusserunt. Quibus instrumenta volentibus sunt, ab ipsis antiquorum auctorum opera, cum ad vitae necessitates minime putent apta, externa ducuntur. Adulescentes enim et pueri, maximam diei noctisque partem per instrumenta lusibus exhibendis, ignari quantum damni sibi comparent plerumque terunt. Ideo callidi adesentatores et contionatores linguam quoque Latinam per computatrum doceri posse dictitant.

Ipsi denique, auctoritate fisi, faciunt, ut tam utili quam nefasto instrumento omnes professores, quamvis inviti, utantur. Sed discipuli, illis machinamentis et ludibus obstupefacti, vim aciemque intelligentiae sensim amittunt, cetera spernunt.

Cum autem miseri et infelices iuvenes nullum, quod imitentur vel aemulentur, exemplum inveniant, sicuti pecora illos sequuntur homines, quos diurnarii per telehoras in imaginibus continenter volgant. Nostros iuvenes in viis, in foris, in autocinetis, in theatris quoque, instrumentis auditoriis auribus accommodatis, ut hebescentes illos rumores, modi qui dicuntur, audientes et insanum in modum saltantes conspicimus.

Sed maximum aetatis nostrae damnum, quod omnes frustra arcere atque infringere conamur, est doctrinae atque eruditionis contemptus, quem discipuli, dum laborem ac molestias vitent, cum parentibus et amicis communicant. Quod contingit, quoniam divitiae, quamvis rerum inopia complures cives adhuc turbet et pretia in dies excandescant, homines cogunt, plerumque rudes et artium expertes, ut non solum eruditionem sed eos etiam omnes, qui eruditionem tradant et doceant, et vituperent et contemnant et spernant. Quae diurnarii per acta diurna contra scholasticas rationes et professores, si quid mali in paedagogiis forte eveniat, insolenter vulgent, omnes scimus: luctuum enim et malorum omnium causa scholasticae rationes et professores habentur. Cur isti pessimi ineptiarum et nugarum auctores tam vehementer optimum quemque professorem adgrediuntur? cur optimam quamque rationem scholasticam delere cupiunt? quomodo professores docere vel discipuli aliquid utile obtinere possunt?

Ceterum callidi iuvenum adsentatores, nostra aetate, qua scientia et vestigatio ob innumera inventa commodiorem hominum vitam facit, non solum a litterarum studio verum a physicis etiam et mathematicis adulescentium mentes et animos versute removent sensimque prohibent. Isti, dummodo apud cives clarum sibi nomen comparent, vanis promissis subtilioribusque sermonibus adulescentium animis adulari non dubitant; ita studiorum rationes in dies vacuas faciunt, ut gymnasium et lyceum quoque, classicum quod dicitur, amoenus fiat locus, ubi haud raro adulescens, quid a parentibus domi didicerit, irreparabiliter amittat.

Nonnulli rerum scholasticarum curatores, ut adulescentium benevolentiam sibi concilient, primum acerrimum bellum cum Lingua Latina et antiquis auctoribus ineunt, tum facilita studia, denique ipsi, cum nullum sit amplius argumentum, quo in rebus adversis, iuvenibus tumultuantibus, uti possint, professoribus criminantur. Auctoribus, classici qui dicuntur, e iuvenum manibus sublatis, nullus amplius doctus est vir, qui eorum crimina idoneis argumentis patefaciat, rerum veritatem ostendat, arduum redemptionis iter praecusat.

Auctores Latini contra mentes incitant, innumeris clarorum virorum exemplis animos ditant usque cotidiano eosdem cogunt, ut, illorum mores et virtutes securi, meliores in dies fiant, cogitate verba faciant, rem eleganter tractent. Qui antiquorum auctorum opera legunt, e perennibus sapientiae

doctrinaeque fontibus hauriunt, ingentibus thesauris animos uni solique ditant. Quibus praediti qui sunt, soli nec immerito divites putantur, quoniam sempiternas possident divitias, quibus nihil praestantius ducitur. Tantis enim ab adulescentia praediti muneribus, iuvenes idoneis argumentis utuntur, contraria refutant, mendacia refellunt, magnas philosophiae poeseosque voluptates et delicias degustant, in rhetorum rerumque scriptorum praecepsit sensum habent.

Nihilo minus linguae Latinae cultus atque amor, ut plerique nostrum queruntur, in annos minuitur. Ideo nobis, qui linguam et litteras Latinas magna cum sollertia colimus et longe lateque vulgare conamur, mirifica est per conventum hunc occasio data, cuius gratia per paucos dies antiquum Romanorum sermo in vitam revocamus et omnia Latine dici posse universis hominibus ostendere conamur.

## L'insegnamento della lingua latina oggi

### Riassunto

In questo breve, ma significativo, intervento l'Autore chiama l'attenzione degli ascoltatori e dei lettori sulle cause, che, nel giro di pochi anni, hanno condotto all'abbandono della lingua latina. L'esame fornisce un quadro poco consolante della situazione italiana, dove, nonostante pesanti e rovinosi interventi dal parte del Ministero della Pubblica Istruzione, la presenza della lingua latina nelle materie curriculari del Liceo Classico e del Liceo Scientifico, tutto sommato, ha retto abbastanza bene. Nelle altre nazioni europee la situazione è di gran lunga peggiore.

Ma gli sforzi di insigni latinisti e di personalità accademiche vengono vanificati dallo scarso impegno dei professori universitari, i quali, sebbene siano maestri indiscussi di sottili disquisizioni filologiche e rivolgano particolari attenzioni a settori pressoché sconosciuti della civiltà antica, siccome non sanno esprimersi correttamente e correntemente in latino, preferiscono allontanarla dalla vita degli studenti anziché promuoverne lo studio e l'uso. Non migliore è la situazione nei licei, dove, purtroppo, insegnano docenti forniti di una preparazione scarsa e lacunosa, senza nessuna propensione per la lingua parlata.

Gli alunni, pressati dai messaggi mediatici e incoraggiati dallo spettacolo per nulla esemplare dei docenti, considerano il latino un gravame, una inutile perdita di tempo.

L'Autore invita tutti a reagire con decisione, a riprendere seriamente lo studio del latino, ad avvicinare gli allievi non solo alla lettura e alla scoperta della letteratura Latina, ma addirittura ad utilizzare la lingua latina come mezzo per veicolare il loro pensiero, sì che si possa dire *deleta surrexit*.